

Letter 54: 13 August 1520, Mainz, Capito to Martinus Gertophius

In 1520 Edward Lee (see note 1 below) published a critical review of Erasmus' edition of the New Testament: *Annotationum libri duo* (Paris: Gourmont, 1520). Erasmus immediately replied with an *Apologia nihil habens, neque nasi neque dentis neque stomachi neque unguium, qua respondet duabus invecivis Eduardi Lei* (Antwerp: Hillen, March 1520). This was followed by a longer apologia entitled *Responsiones ad annotationes Ed. Lei* (Antwerp: Hillen, April/May 1520). Among the reprints that appeared that year was an edition by Schoeffer in Mainz. It contains, on pp.2-5, Capito's letter to Martinus Gertophius, parish priest in Dietenheim.

Eximio theologo Martino Gertophio pastori in Dietenheim, veteri suo amico et necessario,  
Wolfgangus Fabritius Capito S.D.

5 Sub coenam inter eruditos, doctissime Martine, pronunciaui epistolam tuam, qua in Leum  
Anglum tanto spiritu destomacharis et qua simul obiter me salibus aspergis, quod ab illo sim  
collaudatus. Ad pleraque multum arrisum est. Vidisses festivissimum convivium. Quisque pro se  
dictis in nos lusit. Ubi auditum est, quod scribis, Lei librum tibi videri praeter convitia nihil  
complecti, mox quidam interpellans: En argutum, inquit, Lei patronum, rem odiosissimam quam  
vafre obtexit molliori vocabulo. Nam Lei liber non tantum convitia continet, sed idem est  
10 ipsissimum vitium, idem est merum scelus, et furia infernalis nocentissima. Quid, inquam, num  
fortiter tuetur sacris istis annotationibus universam rem theologiam? Tuetur, ait, ut Sinon  
graeculus Troiam, qui praetextu veri mendacia celans Ilion evertit. Ingenium ergo ostendit  
fictionibus? Videtur esse, inquit alius, ingenium, quod in promptu habet tantam vim  
mendaciorum, at ingenium non est, sed mala natura quae scit fingere instituto pro tempore  
accommoda; sed apte fingere et ceu linum lino connectere non scit. In eum modum alia multa, ut  
15 venustiora, ita et atrociora dixerunt, quae consulto omitto illinere chartis, ne in miserum ex  
animo dicacitatem alicui videar affectasse, aut ne tributam ab illo nobis laudem elevem, qua tu  
me facis, si diis placet, impendio delectari.

Verum ut epistolae tuae paucis respondeam: tecum sentio per omnia. Nihil equidem vidi  
uspiam, aut procacius, aut virulentius scriptum. Nihil quod magis scateat, imo insaniat rixis et  
20 convitiis plusquam muliebribus, quodque plura praeter, vel potius contra verum, intrepide  
affirmet. Si detrahis operi, principio, quod falsum est, deinde quod calumniosum, dii boni, quam  
nihil relinquis, quam friget id quod relinquis! Duabus chartulis totum includeres quod superest,  
et tamen liberali lectori, quamlibet breve foret, propter insignem inscitiam fastidium aggeneraret.  
Sunt qui risu difflluunt quoties chartulam Leici operis inspiciunt, propter stultitiam hominis  
25 inexpectatam et gloriosissimam eius ignorantiam. Ego autem cum lego, nihil venustum  
depraehendo, quod mihi, forte nimium serio risum excutiat, tametsi pleraque eius libri sunt  
morosa, superstitiosa, stulte gloriosa, et omnino talia quae suapte natura risum excutere soleant.  
Sed mihi, inquam, minime excutiant, propterea quod ineptus homo, aut misericordia potius  
maxima dignus sit, cui tantus ingenii stupor, ut suam ipsius turpitudinem non videat, aut certe  
30 odio extremo detestandus videatur, rapiendusque ob nefarium facinus istud ad ultima supplicia,  
cum ista sua delyra arrogantia et philautia, quam equidem a puero modis omnibus sum aversatus,  
et quam ille nusquam non prodit insulsissimo illo libro. Nam singulae prope periodi spirant  
insolentem quondam vanitatem. Siquidem quantus quantus est, Gnato est, sed sibi tantum est,  
omnia sibi uni assentans, omnia sibi uni tribuens, neque quenquam ferens, nisi admirantem  
35 adorantemque quicquid Leo vel imprudenti exciderit! Siquid eiusmodi iuvenis effutisset verbis  
petulantius in virum bonum, excusares eius aetatis impotentiam. Sin persistens in amentia

venenum in chartas etiam expueret, profecto deplorati esse ingenii, nec nisi fuste sanandi  
duceres. Quid obsecro nunc illi facies, qui plus minus biennio comportata mendatia contra bene  
de se merentem tam odiose invulgat, praesertim si demonstrato errore, ut illi per Erasmus est  
40 demonstratus his tribus libris, etiamnum auderet inter homines vultum ostendere, certe affirmares  
nullos esse in vinculis, qui aequae insaniant. Et tamen nulla meretricula sibi aequae de  
pulchritudine blanditur, quam ille sibi de inaudita eruditione. Nunc quidem sibi adeo placet, ut  
passim in opere eius magnifico apparet et eruditi ad me literis testantur, quod putet omnes debere  
desistere a scribendo, postquam ipse coepit scribere tam absoluta scilicet et frugi argumenta. *Det*  
45 itaque *locum*, docta Italia, cedite Germani, cedite vos Galli et Hispani, et abiectis chartis alite  
pingue ocium. Nam Leus ille velut alter Daniel de improviso prodit, a Deo missus orbi, ut rebus  
humanis laborantibus ferat suppetias, qui quod non didicit, docere potest, qui novit quomodo  
tractandae sint sacrae literae, quas tamen admodum nuper magistellus artium in manus sumpsit,  
qui trium linguarum peritiam semel hausit paucis mensibus, et nunc in somnis, opinor, a Deo  
50 scientiam rerum omnium sibi uni concessam arripuit, tam profundam, tam certam ut nihil fuisset  
futurum, quod vel Momus repraehenderet, si Erasmus castigasset quae is annotarat, --  
quemadmodum idem ipse ad amicos testatur, et nonnihil indicat invectiva priore, quas  
annotationes quidam insignis asellus sacras nominavit, nimirum quod afflatus numine scripserit,  
quanquam sunt, qui vocitent vere sacras, id est execrabiles, sicut *auri fames* a poeta *sacra* dicitur,  
55 quoniam cupiditas habendi concordiam inter homines dirimit, et huiusmodi sanctae annotationes,  
sacerdotis et theologi, adde et sanctuli, studiorum quietem maximopere turbarunt. Eris, quod  
esset neglecta, misso aureo malo in convivium deorum, dissidium excitavit. Eduardus Leus  
merdoso libello potuit tranquillitatem inficere literatorum. O pestem, o furias! Quare nihil est,  
quod vereris stomachum meum, qui haud paulo durius offensus sum insidiosa laudatiuncula  
60 execrandi illius nebulonis, quam furiosis pridem convitiis, quae fuci quidam monachorum his  
diebus, utraque, quod aiunt, manu in me congesserunt.

Postremo, et mihi quoque videbatur res dissimulanda, nec tamen apertis sycophantiis vel  
verbo respondendum censui, praesertim ab Erasmo. Alioqui non essent defuturi quibus quotidie  
in eum modum illi necesse sit respondere. Tot ubique sunt asini bipedes, impatientissimi  
65 obscuritatis, qui stilum in se Erasmi quem Leus impetrasset simili flagitio, haud dubium,  
ambient. Et ut vere dicam, quod mihi videtur, nunquam illi ipsi Leo, hoc est ranae loquacissimae  
satis erit responsum. Insanos enim et furiosos, ac veluti per somnia quidvis effutientis conatus  
qui reprimes ratione, quando sycophanta sceleratissimus primum calumniatoris partes, non tam  
ratione et iudicio assumpsit, quam audacia quadam corroborata quidvis tentandi, quo famelicus  
70 homo desyderium gloriae levaret? Atqui Erasmus prudentissimus vir dignatus est sua contra  
istum tueri et communire latius, quae tamen arte et natura, hoc est, ingenio Erasmico et viribus  
veritatis adeo firmata sunt, ut ea nemo hominum sufficiat aliquo modo labefactare. Nec aliud  
quam hactenus, nescit enim ille [gr.] palinodein, sed forte aliter aliqua dicit, accersitis interim  
aliunde fortissimis etiam confirmationibus, ita ut ipsa calumnia, quod contra hiscat nequeat  
75 invenire; quanquam video, ut dixi, Leo nequaquam posse satisfieri, quin est semper habiturus,  
quae obstreperus obganniat. Nam plusquam dimidia mens ardore gloriae, quo immodice uritur ei,  
exaruit et quod suo libro passim probat, amens nunc loquitur ceu per febrim. Nec ei curae  
videtur, quam idoneo pro re dicat, sed quam multa dicat, et incassum dat mente sonum. Iccirco  
cum porcis suis grunnire poterit bene fateor, certe in contrarium scite et apposite loqui non  
80 poterit. Atqui non nego Leus Erasmo occasio fuit ut hos libros responsionum in publicam  
utilitatem scriberet. Quemadmodum enim *bonae leges ex malis moribus natae* feruntur, ita ex

turpissimo sycophanta causa huic extitit latius explicandae veritatis, quanquam vereor quo pacto id ferant isti, quibus nihil placet, nisi quod optimo<sup>1</sup> cuique displicet.

85 Caeterum suave est, quod ais, tecum praecogitasse, quam iniquo animo attactum a te  
Leum Capito laturus sit, nempe encomiasten suum, sed hominis improbitatem et amorem veri  
praevaluisse tecum amicitiae nostrae, quo minus irati stomachum sis veritus, quasi grata nobis  
fuerit tam insidiosa laus, homuntionis antehac nemini noti. Imo probrosa laus et pernitiiosa, quae  
me in gravem ubique suspicionem vocat desertae veritatis et initaie familiaritatis cum tam inani  
90 gloriae mancipio, tam indocto, tam insulso, tam stupido et mirum de se confidenti, qui nihil non  
audet pro parando nomine, qui sacra prophanaque iuxta ponit, modo consulatur existimationi  
ipsius, qui propter celebritatem et opinionem aucupandam ex omnibus eruditorum ordinibus  
lumen delegit impetendum, hoc est Erasmmum, renascentis theologiae [gr.] lychnouchon. Nam ut  
ubique nihil solide novit, ita et omnes professiones aequae suffecisset impugnare. Quid non  
Linacro aut Vuilhelmo Copo aut Leonicensi medicae rei, aut Ulricho Zasio, aut Andreae Alciato,<sup>2</sup>  
95 legum instauratoribus dicam scripsit? Certe quia theologiam vidit ad omnes attingere, reliquas  
autem professiones ad paucos. Quod enim de evangelio disputatur, ad se quilibet pertinere  
iudicat, et pertinet quidem ad omnes, sicut iuris prudentia et ut nunc est medica professio, quae  
non admodum late patet, ad paucos. Idcirco stultulus Leus putavit literas sacras idoneum fore suo  
100 consilio argumentum. Nam eo fuit animo, ut quoquo modo in hominum notitiam eluctaretur. Et  
idcirco sibi non desumpsit quemlibet; Erasmus ipse visus est aptissima persona eius tragoediae.  
Quem quidem vidit acceptum orbi magistrum, tam etsi ille ipse nihil tale de se aut sentiat, aut  
aliis affirmantibus facile credat, aut illis, qui id propalam contestantur, aequo esse animo soleat.  
Certum igitur habuit Thraso noster si hunc quam posset odiosissime lacerasset, etiamsi is  
responsione sua ipsum non dignaretur, neminem tamen fore virum bonum et habentem calamum  
105 qui non in illum ipsum sit incursurus. Qui enim sperasset [gr.] ametroepes Thersites, quod iactata  
in magnanimum Agamemnonem convitia egregii Ulisses, quos sub suis signis plurimos habet  
Erasmus, qui inquam sperasset, quod illi essent aequo animo laturo contumeliam sui imperatoris?  
Vide quam gratiam iniit Leus cum Capitone. Pro falsa laude, qua me in opere odioso dignatur,  
equidem vicissim veram fraudem eius, qua eluctatur ad immortalitatem, praemitto libro gratioso,  
110 et nulla in re peccantem, nisi quod Lei memoriam transmittit ad posteritatem, quae tamen ut est  
libera et acriter censura, dolis et technis agentem damnabit, non solum ambitus, sed stellionatus,  
falsi et ingratitude. Ut non paulo honestius videri possit inglorium esse quam per inane nomen  
sic premi sempiterna et infamia et odio.

115 Ludis deinde Leicam eloquentiam et eam Ciceronianae festive anteponis. Nam haec cum  
dulci quodam oblectamento nullam habet satietatem, sed mirum immittit sui desiderium atque  
animum legentis protendit semper in subsequencia, decies lecta, tum primum divinitatem sui  
aperit, et per omnia videtur augustior quam si duntaxat fueris, veluti per transennam, semel  
intuitus. Illa autem lectorem, quamlibet etiam avidum, semel exatit vel degustata tantum, cum  
Ciceroniana soleat reddere cupidior. Sin gradum in hanc urges et longius progredi tentas,  
120 misero fastidium subrepat et nondum lecta imo inspecta solum, auctoris incitiam, studium, mores  
arguit, materiam autem etiamsi accurate perpendis, qua ratione quaeso cognosces? Nam mutuis  
viribus sese pleraque elidunt aut certe obscuriora sunt, quam quibus antiquum adagium opus esse  
dicebat Delio natatore. Haec nimirum omnia ex animi mei sententia scribis. Neque enim mihi  
potui ut integer legerem huiusmodi naenias imperare, non tam ob vulgaria, vilia, et saepius  
125 discussa argumenta (nam de iisdem rebus ferme apud Basilienses cum Erasmo abunde

---

1 Corr.: optime.

2 Corr.: Andrea Alerato.

contulimus), quam quod omnia iusto maiora profert, quod omnia rapit ad calumniam, quod studio repraehendendi, modo carpit benedictum, mox velut oblitus sui, idem ipsum confirmat, et turpi quadam morositate, aut de umbra asini aut lana caprina atroces undique tragoedias excitat.

130 Nosti Capitonem, quantopere sim exosus muliebrem illam procacitatem, mihi probe conscius es. Nec video, qui sit uspiam ex eruditis tam patientis stomachi ut sine bile queat istius homuntionis furores perlegere. Unum duntaxat, quantum scio, stomachum offendi, qui librum  
135 Lei, magis tamen invidia percitus, quam iudicio adductus comprobet. Is nuper malitiose subridens eundem mihi in manus tradit. En, inquit, doctum et Christianum autorem, unus hic est vere pius iuxtaque eruditus. Graece, Latine, et Hebraice callet, ut Erasmus illi iure invidet.  
140 Verum, mi Gertophi, similes tum invenere labra, quod aiunt, lactucas. Quae tamen res me non vehementer perturbat. Siquidem fieri non potest, quin perpetuo sint scarabaei stercoris amatores, quin sint alicubi instabiles, varii, de alio in aliud vitae institutum transilientes, molesti, clamatores, in optimum quenque contumeliosi. Nam hi solum talibus [gr.] keimeliois oblectantur, nobis autem contra, divinum Erasmi ingenium maxime admirandum occurrit, in his  
145 etiam libris responsionum, quibus insanis convitiis satisfacit, citra tamen, quod non quivis potest, retaliationem. Quis non eam modestiam christiani pectoris religiose exosculatur? Quam velim equidem Leus praestitisset! Et certe tum non esset cur mei mentionem in illius libro factam mihi vitio verteres. Quos equidem libros responsionum proiectos ab autore, propterea quod haud diu victuros putavit, tibi nuncupo, ut his instructus, morionibus si qui tecum sunt, satisfacias, e  
150 quorum tamen numero quendam hic vidimus praefractiorem, quam cui vel ipsa veritas aliquando satisfaciat. Si quos istic pateris huius farinae, aut eos omnino valere sinas ceu deploratos, aut ultima tentans, quod morbis extremis medici solent, durum undique tergum illorum fuste lenias. Hoc enim genus daemoniorum non eiicitur aliunde.

150 Vale, suavissime Martine, et istiusmodi cohortatione tuam erga me auctoritatem saepius exerce. Iacobus Truchses, elegantissimus adulescens et utriusque linguae bene doctus qui pridem ex itinere ad me hospes divertit, fratrem Ioannem Gertophium salvere iubet.

Moguntiae, Idibus Augusti, anno MDXX.